



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad  
Aduentum

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX**

Dominica XVIII. Post Pentecosten.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

bis amissa esse, nullamq; beatitudinis spem superesse.

3. *Sent. dist.*  
27.

Conemur igitur, Christiani, hanc animo virtutem inculpere, quæ nihil est aliud, vt Doctores aiunt, quam amor & dilectio, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Studeamus hanc virtutem obtinere, cui nulla nec in cælo nec in terra par haberi potest, nam vt Augustinus ait, *Charitas est donum Dei, quo nullum est excellentius.*

*Aug. lib. 18. de ciuit.*

*Bern. serm. de carit.*

*Lib. de verbis Dom.*

Contendamus hanc parare, quæ sicut aurum omnia superat metalla, & oleum omnibus supereminet liquoribus; sic omnia bona mundi excedit. Studeam<sup>us</sup>, obsecro, hanc lucrari, quæ ex hominibus Angelos & Deos reddit; scribit enim Augustinus: *Quicumq; secundum regulam vera caritatis viuit, non homo vult Angelus, sed Deus censendus est.*

Deniq; demus operam, demus inquam, vt Deum ex toto corde diligamus, & proximum sicut nos ipsos, cum ab illo tota lex & Propheta dependeat.

Hanc obsecro, omnipotens & æterne De<sup>o</sup>, gratiam nobis præsta; fac ques<sup>o</sup>, vt te ex toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus diligamus: totum te corde creatorem; anima, vt Dominum; mens, vt Deum; vires denique tota, vt beatitudinem suam diligant. Et est sane rationi consonum vt hoc modo diligaris: cum enim tu cor creaueris, id tibi totum offerendum est, cum etiam animam creaueris, totam eam tibi dedicare par est: cum menti & intellectui esse dederis, vt te penitus etiam cognoscat necesse est; cum denique ipse vires nobis concesserit, æquissimum est, vt tuo obsequio amorique omnes etiam impendantur. Ad hoc scilicet lex, Religio & natura ipsa nos obligat. Frustra alioquin homines, frustra Christiani diceremur, frustra denique fidem nacti essemus, si te post totam prægnantiam præcepta diligere detrectarem<sup>us</sup>. Deinde quoque necessarium est, vt post te, proximum amemus, sicut nos ipsos, ita nempe id fieri iubes, ita censes & præcipis, nos quoque id ipsum facere decreuimus, modo gratiam concedere digneris. Scimus enim a duobus illis præceptis vniuersam legem & prophetas, atque omnem nostram beatitudinem dependere,

ad quam nos deducat Pater & Filius & Spiritus S. Amen.

## DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

1. *Dignitas & vis fidei quanta sit.*
2. *Quid patria, quid cognatus deliamus.*
3. *Oblatus æger quorum nos moneat.*
4. *Baiuli & turba quorum.*
5. *Qualis fides proficit.*
6. *Qualis morbus sit & conuansatio.*
7. *Qualis remissio & iustificatio.*

*Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam; & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Matth. 9.*

FIGURA.

**A**RCA Testamenti veteris cum è Carthiari, triginta hominum millibus stipantibus, in domum Obededom Lenitæ Gethai venisset, vniuersa familia benedixit, & varijs donis ac beneficijs domesticos omnes cumulauit. Hoc non nisi figura fuit veritatis, quam hodiernum Euangelium continet. Videte enim, vt Iesus Christus vera illa arca Testamenti noui, è Iudæa, turbis comitantibus, in domum cuiusdam Capharnaitæ veniens, eandem beneficijs cumulauit & benedictionibus cœlestibus repleuit, in eadem Euangelium prædicet, peccata dimittat, & paralytico sanitatem conferat. Ecquænam Deus bone beneficia! sed ecquæ etiam materia quam huius horæ spatio vobis audientibus deducam! Hoc itaque intendo, modo Spiritus Paraclæti affulgeat auxilium, & virgo Deipara precibus ad filium profusus mihi gratiam impetret. Quamobrem angelicæ etiam salutatione compellemus:

AVE MARIA.

Constantinopoleos decus, Ioannes cognos-

I.



gnomento Chrysostomus, fidei Catholicae excellentiam dignitatemque dum secum perpenderet, quodam loco ait, *Fides religio Catholica culmen est anima, ostium vitæ æternæ, & totius veritatis stabile fundamentum.* Huius etiam præconem agens Augustinus inter cetera dicit, *Fides est omnium bonorum fundamentum, & humana salutis initium.* Equidem post duo illa vtriusque Ecclesiæ lumina, fidem altius extollam, dicamque quod inter planetas sol est, inter elementa ignis, inter gemmas adamas, inter metalla aurum, hoc inter dona & charismata cœlestia fidem esse: ipsa est etiam diuinus ille thesaurus in Ecclesiæ agro delitescens, quem qui semel inuenit, vendit ac distrahit omnia quæ in mundo possidet: est quoque illa fax supernaturalis, quæ ubi semel in animo accensa fuerit, nunquam extinguitur, tantumque splendorem & radios ita lucidos, circumundique ejaculatur, ut conspicere etiam mereamur, quæ alioquin sub oculum non cadunt. Est denique candelabrum illud aureum, quod in Exodo Deus fieri præcepit, quodque Zacharias in septem lucernas distinctum, & in templo collucens vidit. *Et ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem uicinas eius super illud, & dua olivæ, una ad dextram lampade, & una à sinistra eius.* Quid significare putatis candelabrum illud in septem lampades distinctum, & duobus fertis redimitum, aliud profecto nihil quam fidem; quæ instar auri in medio Ecclesiæ resplendet, & septem sacramenta, quæ septem illis lucernis similia esse assero, continet, & charitate ac spe velut duabus oleaginis coronis redimita est fides; adhæc scientiarum omnium regina est, sine qua nihil scimus, & cum qua scimus omnia. Et sane Glossa ordinata super verba illa Proverbiorum: *Multa sunt congregauerunt sibi diuitias, tu vero supergressus es uarias:* commentans ait, *Omnis sum quasi diuitia quæ ad am scientiam, vero fides omnes diuitias scientiarum supergreditur.* Ipsa quin etiam minutum illud vidua est, quod in templi Gazophylacium coniectum, & Deo a pauperula quadam anima oblatum, plus sit maiorisque meriti cœletur, quam omnes orato-

rum Philosophorumque mundi huius scientiæ.

Ad eo ut omnes propemodum Theologi Fides alias Scholastici in primum sentent. fidem ceteris scientiis præclaris tum dignitate tum excellentia præcellere, dicere non vereantur, fundamento illi Aristotelis potissimum innixi, dicentis, scientiam ac disciplinam illam ceteris nobiliorem esse, cuius subiectum est nobilius: at nullum fide subiectum dignius; Rhetoricæ namque subiectum est compositæ & ornate dicere; Dialecticæ scire & recte argumentari, Physicæ corpus naturale, Mathematicæ quantitas, Metaphysicæ ipsum esse; at Deus & vniuersa diuinitas vnicui fidei subiectum est. Hinc August. asserit, fidem virtutem quandam esse, quæ pure & simpliciter à substantia quadam diuina procedat; denique omnium Doctorum ea est opinio, fidei scientiam ceteris omnibus dignitate præcellere, & longe etiam certioræ & irrefragabiliorem esse, quod præ alijs in Summa docet & adstruit Angelicus Thomas.

Quamobrem hoc fixum & firmum habentur, fidem alijs omnibus scientiis certitudine & irrefragabilitate præstare; quod hac ratione confirmo: quod cuiusdam primæ & increate veritatis lumine cognoscitur certius ac firmitus est, eo quod lumine ac ductu veritatis create percipitur. Porro quidquid per fidem cognitum habetur, in Dei schola addiscitur, & per veritatem quandam primam & increatam; fides enim, ut in libro Sapientia legere est, à Deo infunditur, & cælitus descendit, fidei igitur scientia omnibus alijs certior, ac de qua minus dubitare liceat.

Secundo, naturales scientiæ è rebus notioribus procedere solent, earumque fundamenta sunt, principia maxime vniuersalia, & propositiones notiores, in 7. Metaphys. & alibi tradit Aristoteles: *Scientia à notioribus de am. 1. 1. 1.* Atqui fides nullam aliam causam agnoscit præter Deum, neve vlla principia aut fundamenta, quam primam illam veritatem & reuelationes diuinas. Cum igitur agatur cautior, juxta Philosophos, maioribus etiam effectibus producat, & fidei causis.

Sup. Matt. b.  
Lib. de fide  
ad Petrum.

Matth. 13.  
Exod. 15.  
Zach. 4.

Fides candelabro aureo similis.

Prov. ult.  
Luc. 21.

Lib. 8. Topic.  
li. 2. de anim.

2i de Trin.  
cap. 2.

2. 2. q. 4. art.

2.

Metaph. 3.  
1. 1. 1.

Phys. lib. de  
sensu & sensu

Lib. 1. de ani.  
ma & li. de



causa omnium nobilissima sit, sequitur etiam ceteris præstantiorem ac digniorem esse.

Tertio. Quidquid testimonio & confirmatione Spiritus Sancti scitur, certius est eo quod per creaturas cognoscitur; ceterum quidquid per fidem cognoscimus, Spiritus S. testimonio cognitum habetur. vnde Apostolus ad Romanos, *Ipse Spiritus S. testimonium reddit spiritui nostro, & ad Theſſal. prima, Cum accepisti à nobis verbum, acceperisti illud non ut verbum hominum, sed sicut verbum Dei.* Quamuis autem ea quæ per fidem cognoscimus, nulla naturali demonstratione cognoscamus, tamen quoniam supernaturali cognitione ea edocentur, multo de eisdem quàm de aliis certiores sumus; quod à doctore tum certiore tum peritiorè tradantur, utpote Spiritu Sancto; de quo dicitur; *Spiritus veritatis ipse vos docebit omnia.*

Hinc audacter infero, minimum fidelium, quamuis in ceteris sciencijs humanis stupidissimus sit coram Deo doctiorè maioriq; cognitione præditum censerè, quam omnes mundi Philosophi, qui vera fide destituti sunt. Quo spectat & verus ille proverbialis.

*Qui Christum bene scit, satis est si cetera nescit.* quo etiam respiciens S. Bonaventura scribit: *Melius est vel m. dicum de Deo scire, quam omnium celestium simul & terrestrium notitiam habere.* Hinc bene exclamat Augustinus: *Nulla maior virtus fide, nulla maior scientia, nulli maiores thesauri, nulla maior excellentia & dignitas in presenti vita inueniri potest.* Nō minora in eam congerit encomia mellissimus Bernardus, dicens: *Nulla maior nobilitas, in mundo, quam nobilitas dei Christiana, que animam sic nobilem facit, & sublimat, ut etiam digna sit sedere à dextris virtutis Dei.* Quin & in Daniele commentatus, hanc illius nobilitatem maioribus celebrat præconijs, fides inquit, *attingit inaccessible, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima, transgrediturque humana rationis fines, ac natura & sum ac terminos experientia.*

Virtus & potentia fidei cellentia est, sed maior etiam eiusdem virtus naturæ potentiam naturalem superat; quod ita probò: fieri non potest, ut quispiam, quibuscumque tandem

viribus & industria naturali conetur, aquis inambulet, & ferrum plumæ instar vndis innatet; illud tamen fides Petri, hoc v. Elisei effecere. Deinde nemo naturali sua virtute soli, lunæ, stellis imperare potest aut in medio cæli axe cursum eorum sistere & præcipitem impetum sine vilo rerum inferiorum dispendio & totius mundi machinæ dissolutione, interrumpere; ait enim Aristoteles motum solis generationis & corruptionis omnium esse causam: magnus tamen Israelitarum ductor Iosue vnicò verbo solem sistit, & lunæ imperat, ne cursum præcipitaret, sed suspenderetur & noctis vnus pateretur dispendiū, die ad horas prolato: *sol contra Gabaonitas ne mouearis.*

Tertio naturæ vires superat, efficere ne ignis urat, calorem exuat, qualitatem combustibilem & actionem depassiuam amittat, de quo etiam Aristoteles scripsit; *agens naturale agit necessario, ut ignis semper c. lesacit: veruntamen apud Danielem legere est ignem in fornace Babylonica non aruisse, & fidei iussu obsequendo ardorem & calorem suum rabiemque exuisse.*

Quarto, Physice nemo & naturaliter montes transferre potest, aut cogere illos loco cedere; nihil quippe præter naturæ suæ ordinem agere potest, aut nouam actionem assumere: ait enim Aristoteles; *nihil agit contra naturam suam.* Ceterum mortium natura grauis ac ponderosa est, & omnia quæ grauiora deorsum sunt semper deorsum vergunt, atq; ideo loco moueri, & in alium transmigrare nesciunt. Christus tamen apud Matth. ait: *Quod si habueritis fidem, dicetis monti, quod proyiciat se in mare, & obediet vobis.*

Paucis vero ut complectar, omnes naturæ vires quamuis maxime intenduntur, dæmones profligare ac loco pellere nequeunt; ait siquidem de illis Iob: *Non est potestas super terram, qua comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Marci tamen vltimo legitur, fide eos pelli. præterea omnia naturæ remedia nullum morbi genus quod reuera incurabile sit, sanare queunt, ut cæcis visum, auditum surdis, gressum claudis, leprosis sanitatem, paralyticis membrorum usum reddere;



Matth. 11.

Propositio  
concionis.

dere; hæc tamen omnia præstat fides; Vnde de illius excellentia ac dignitate facile diiudicare potestis, *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur.* Hodierno quoque in Evangelio prodigiosam paralytici curationem legimus, sed fidei meritis impetratam, dicit quippe textus, *Videns autem Iesus fidem illorū, dixit Paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* quam materiam vt methodice deducam, primo de ijs qui Christo paralyticum offerunt, ac de alijs eiusdem rei circumstantijs; deinde de prodigiosa paralytici curatione loquemur.

Christus igitur cum nauigio mare Galilææ transfretasset, in quo horrida illa tempestas, quæ Apostolos maximopere consternauit, accidit, & in terram Gerasenorum peruenisset, & ægros aliquot sanitati restituisset, iterum mare conscendit in Galilæam reuersurus, ac deinde Capharnaum venit, vbi domum cuiusdam ingressus paralytico membrorum vsum reddidit: at tanta tamque densa eum turba sequebatur, vt domo completa & area interiori homines non capiente, medico æger offerri non posset: quamobrem necesse fuit, per tectum illum funibus in grabato ante medici pedes dimittere, vt eum omnipotenti sua dextra tangendo sanitati restitueret.

Cur Ca-  
pharnaum  
patria Chri-  
sti appelle-  
tur.

Matth. 4.

In ipso Euangelij limine dubium occurrit, quod antequam prouehamur vterius, dissoluemus. Quidquid hic factum audis, in Capharnaum vrbe maritima, in tribu Zabulon & Nephthalim sitæ, Galilææ totius metropoli factum constat: sed cur hæc ciuitas Christi dicta est? primo quod totius provincie caput & metropolis foret, deinde quod Christus in eadē educatus esset, ac toto propemodum vitæ spatio ibidem habitasset, vt docent Chrysostronus ac Lyranus. Tertio, & quidem aptius quod, teste Matthæo, relicta Nazareth, in Capharnaum habitatum venisset. *Relicta, inquit, ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum.* Augustinus, Beda, Strabo, Hugo, & Lyranus ideo illam Christi patriam vocatam credunt, quod totius Galilææ metropolis esset, & à qua Nazareth Christi patria dependeret, quemad-

modum Romanus appellatur aliquis, non quod Roma oriundus sit, sed alio in loco, qui Romano imperio & ditioni subiectus sit. Chrysostronus, Theophylactus, Euthymius hoc illam appellatam nomine credunt, quod Dominus sapius ibidem ageret, & vt plurimum habitaret. Tres quippe ciuitates habuisse dicitur Bethleem imprimis in qua natus; Nazareth, in qua educatus; Capharnaum denique in qua commoratus. Audite verba Chrysostroni, *proprium hic, inquit, ciuitatem eius Capharnaum appellauit, Bethleem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capharnaum proprium ipsius erat habitaculum.*

Sed quidquid de rei veritate sit, egregium hic diuinæ sapientiæ argumentum notandum occurrit; filium Dei scilicet in suos prius ciues se, quam in alios benignum ac liberalem demonstrasse. Quæuis enim Christiana charitas omnes respiciat, & erga quoslibet exercenda sit, in consanguineos tamen & notos prius, quam in alienos & ignotos. Quo respiciens tacite amans illa sponsa in Canticis ait, *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* ordo autem charitatis est, vt nostros, id est, propinquos & amicos prius, quam alienos complectamur. Is scilicet & charitatis tum naturæ ordo est. Nam agentia naturalia in proxima semper & vicina, in vi mo virtutem suam & effecta exerunt, ac deinde paulatim ad remotiora delabuntur. veragunt. bigratia, ignis citius calefacit & adurit eos qui eidem vicini sunt, quam remotos distantes. Quo naturali exemplo docemur Christianæ dilectionis ignem, propinquos & consanguineos præ alijs ignotis, beneficiendo calefacere debere. Quamobrem sapiebat Apostolus, cum Israelitarum, è quorum semine prognatus erat, damnationem præ alijs (licet nullum, etiam maxime impium, in interitum ruere vellent) singulari quam ratione deploraret, ingemisceretque, si quem illorum legi Euangelicæ refragari cerneret; ait enim, *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordis meo: optabam enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt*

Hom. 30. in  
ca. 9. Matth.II.  
Caritas in  
patriam ex-  
ercenda.

Cant. 2.

Agentia na-  
turalia in vi  
mo virtutem  
suam & effecta  
exerunt, ac de-  
cina primo

Rom. 9.



*sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitae.* Charitas siquidem docet & urget, vt de nostratium primo, deinde de externorum salute laboremus.

Sol primo influxus suos communicat rebus vicinioribus.

Sol ille mundi oculus, diei princeps & astrorum rex, prius lumen suū & influxus planetis qui circum illum commorantur communicat, quam rebus his inferioribus, quo Philosophico aphorismo erudimur, si modo solem imitari, & charitatis iura seruare velimus, amoris nostri & affectus operationes prius erga vicinos, & affines & notos, quam in alienos & incognitos declarandos.

Luc. 4.

Iudæi cum olim Domino vitio verterent, quod apud alios in miraculis patrandis effusus esset, & prodigis, nullum vero apud suos, avarus quodammodo, ederet, dicebant: *Quanta audimus facta in Capharnaum, fac & hic similiter in patria tua.* Quasi dixissent, quis ille tuus agendi mos est, magister vt nimirum alienos complectaris, tuos vero ciues negligas & quodammodo contempnas? vt Capharnaui miraculis tuis illustres, patriam vero tuā Nazareth ingloriam jacere sinas, nullo ibi miraculo patrato? sensus Iudæicæ huius reprehensionis ostendit, propinquis prius quam externis caritatem declarandam.

Dan. 4.

Qui suis benefici non sunt, vita sunt indigni.

Arbor illa Nabuchodonosor, quæ non suis sed bestiis sub illa pascere solitis, fructus proferebat, quamprimum dejecta & excisa fuit: quo edocetur, illos qui opibus abundant, & tamen parentibus & consanguineis eandem non communicant, sed in bestias, id est, canes, equos alienos, & meretrices effundunt, vita indignos esse, a que in periculo versari ne deiciantur, & diuinæ iustitiæ securim experiantur.

Matth. 15.

Mulier illa Chananaea, filia, quæ à dæmonio diuexabatur sospitatem deposcens, & enixissime efflagitans, tandem tacite importunitatis accusata a Domino audiuit, *Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus.* Id est, Acquumne putas, aut non potius indecens, me Iudæis, qui filij mei vterini sunt, & quorum ego pater miraculorum panem auferre, quo Chananaeos, qui canes sunt, & bestiarum ritu viuunt, eodem pascam ac reficiam? Illi porro filijs panem auferunt, quo canibus illum tradant, qui in externos charita-

tem declarant, propinquos vero suos pertrahunt; quos Christus tandem aliquando hoc nomine reprehendet.

Vidua Sareptana cum ab Elia propheta, sui vt miseretur, & fame propemodum euncto, panis buccellam largiretur; paupertatem suam quamprimum preterens ait, *Vitæ 3. Reg. 17. Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest: farina in hyaria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo vt comedamus & moriamur.* Perinde ac si diceret, Adsit tibi Dominus vir Dei, equidem hocce tempore tibi opitulari nequeo: pauillum enim illud alimenti quod habeo mihi cedit, & filio; neque enim æquum est filium meum vt deseram, quo tuæ necessitati succurram, tuæ inquam, quem nunquam prius mihi videre contigit, ac ne de facie quidem noui. Quo efficere volebat, charitatem exigere prius vt nostratibus, quam alienis & externis succurramus.

Pauperula illa Prophetæ cuiusdam vidua, quam quotidie creditores solcite & importune ob debita coniugis diuexabant, cum oleum Dei permittu & Elisæi intercessione excreveret, primo vasa domestica, ac deinde vicinorum repleuit; & sane quod notatu dignum, quam primum vt mutuo vicinis sumpta replere desit, non legitur oleum amplius excreuisse. Quo mystero edocemur, charitatis oleum primo in parentes, affines, amicos, propinquos, domesticos ac familiares, ac deinde siquid superferit, in alios effundi debere. Atque simul hic notandum est quamprimum vt benefacere & opitulari, proximis cessamus, oleum charitatis in animam nostram non amplius redundaturum.

Quamdiu Abraham Patriarcha illiberis fuit, non mediocriter cruciabatur, quod externis laboraret, & hæredes careret, in quem hæreditas, bona, facultates, opes deuoluerentur; quamobrem lachrymans dicebat & gemens: *Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ i: e: Damascus Eliseus. Adiditque Abraham, mihi autem non dedit sibi semen, & ecce vernaculus meus, hæres*



*heros meus erit.* Id est, Rationi nequaquam consonum est Domine, ut illa, quæ tanto sudore quis parat, spe quadam animatus filiis illa suis relinquere, in seruorum & alienorum manus deuoluatur; repugnant quippe leges charitatis & iura naturæ. Quamobrem liberos mihi elargire Domine, ut illi omnium facultatum mearum heredes sint & legatarij. Atque hinc infero, propinquis & affinibus prius esse succurrendum, quam externis nulloque sanguinis, affinitatis aut amicitia iure coniunctis. Idcirco Dominas hodie patriam ingressus miraculum illud patravit, & paralyticum sanitati restituit.

III.  
Insignes  
considera-  
tiones.

*Et offerebant ei paralyticum.* O singularem & insignem oblationem! Tria hic anima mea, in paralytici huius oblatione notanda veniunt. Primum scilicet, quod cum tanta populi multitudo conuenisset, ut baiuli qui paralyticum hunc deferebant, ad Christum accedere non potuerint, quo eum coram sanaret, tectum domus alterius frangere; regulas auferre, & funibus eum demittere non dubitarint, & proximo damnatum inferre, quo paralytico sanitatem impetrarent. Insignis profecto charitatis actus, & egregium documentum, quo docemur, nullis parcere sumptibus, nullas expensas subterfugere, imo quæuis periculo exponere, quando de sanitate proximi & de animæ eius salute agitur: illa scilicet rebus omnibus anteponenda est.

4. Reg. 5.

Naaman præfectus castrorum regis Syriæ, quo sanitatem corporalem obtineret, regiam aulam deseruit, palatio suo exiit, eque Syria in Iudæam descendit, & decem talenta argenti, sex millia aureorum, & decem mutatoria vestimentorum secum tulit.

Lib. 2.4. de  
republ.

Quo edocere genulis ille voluit, ad sanitatem recuperandam nullis esse sumptibus parcendum, ut qua nihil sit vel haberi possit pretiosius. Adeo ut teste Platone, nonnulli Philosophi summum in ea bonum ac felicitatem existimarint. Et sane Lucianus & ex eo Cælius Rhodiginus tradunt Pyrrhum Epirotarum regem, qui diuturno bello Romanos lacessuit, dijs

Tom. 2. Paris. Æstiuæ.

viæimas & holocausta macstantem nihil aliud ab ijs petere solitum quam bonam valetudinem, non vero opum incrementum, latiores regni terminos, & luculentiores de hostibus victorias; habita enim sanitate & valetudine, omnia se habere credebat, hæc vero si careret, vitam ipsam non vitam, sed morte acerbiorum, existimabat.

Secundo nota, mundum hodie aliud Deo nihil Deo offerre quam paralyticos, pedes hodie cautos, ægros, si quæ enim in familia sit non nisi paralyticis, claudicans, gibbosa, aut monstro ralyticos similis, in monasterium illa detrudenda est: offert. si quis inter filios bardus sit aut stupidus vel obtusior ingenij, qui nullam sui spem excitet, maculam autem vel narium præferat, denique qui paralyticus sit, ordinibus sacris adiudicatur. O tempora, ô mores! Mundus Mundus, quod ceteris est deterius, Deo offerre, meliora reseruat sibi: sanos inquam in collaribus, geniosos & exercitatos sibi retinet; ægros, claudos, paralyticos, id est, ignaros & asinos consecrat Deo.

Quapropter non errauro, si mundum *Gen. 4.* profano Caino esse dixerò persimilem, qui Similis Deo morbidus, tussientes & macilentas o-mundus ues è grege offerebat, pinguiore vero & Caino. meliores sibi reseruabat. Is igitur paterfamilias Cain quidam est, qui ex vniuerso familia suæ grege, macilentissimum, stupidissimum, vel etiam deformissimum Deo in sacrificium offerre conatur, id est, ad ordines sacros illum ingerere vel in monasterium aliquod compingere, optimos vero, pinguisimos, & optimo & felicissimo ingenio donatos sibi reseruatur, ut in mundo eos profanos reddat.

Sodomorum Rex cum Chodorlahomor *Gen. 4.* regem Elamitarum bello superasset, & victoriam amplissimam retulisset, Abrahamo partem spoliatorum postulanti ait, *Dæ mibi animas*, id est, homines, (anima enim pro homine capitur) *cetera tolle, tibi.* Versutus ille sibi postulabat dari viros bellipertissimos & strenuissimos, asinos, equos & alias bestias Patriarchæ cedit. Idem facit & mundus, nam in diuidendis spolijs egregios & cordatos summique ingenij adolescen-

Qq



lescentes sibi sumit, DEO vero asinos & stultos referuat, & non nisi paralyticos offert.

Exod. 19.

Legem Mofi Deus cum daret, omnem bestiam monte voluit abesse: *Bestia qua tetigerit montem, moriatur.* Religiosus est Ecclesiasticus status, montis cuiusdam ac perfectionis speciem refert, in quo diuina lex traditur, & mysteria communicantur, ad quem bestias nisi vitæ adire periculum velint, nefas est accedere, ignaros inquam & imperitos, nullaque rerum cognitione aut scientia ornatos: qui vero sese ingerere præsumpserint præfens adeunt periculum, & diuinam indignationem prouocant. Miphiboseth regio prognatus stemmate, Saulis nepos & Ionatha sed claudus, & paralyticus, adiro Dauidem omnia paterna bona illi velle reddere (*ne timeas quia faciens faciam misericordiam propter Ionatham patrem tuum, & restitui tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper*) ad pedum defectum respectu habito, tantis beneficiis indignum pronuntiauit, & dicens.

2. Reg. 9.

*Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super carnem mortuum similem mei:* Docemur hac historia, illos qui ad dignitates Ecclesiasticas euocati sunt, cum quo ad ingenium paralytici sunt imperfectionibus suis ob oculos habitis, excusare se debere, ac proinde se tantis oneribus indignos pronuntiare; sed pro dolor! Eos præ cæteris mundus elegit & beneficijs Ecclesiasticis adplicat, ad honores sublimat, Deo deteriora melioribus sibi referuat, offerendo.

Mundus contrarius bono nostro proposito.

Tertio notandum hic est, ob turbam & confertam hominum multitudinem fieri, quo minus paralyticus hic Domino sisti queat, & sanitatem recuperare: *Et non inuenientes, qua parte illum inferrent præ turba.* Mundus scilicet & prauorum hominum contubernium semper impedimento sunt, quo minus bonum operemur, & promptam nostram ad virtutem propensionem elidunt & evertunt: quare quicumque boni aliquid lucrari & meritum sibi comparare desiderat, è mundo se subducatur necesse est.

Psal. 54.

Ita fecisse se ostendit Dauid rex, cum enim persectum haberet, quanta in mun-

do & in tumultibus sæculi pericula occurrant, alias exposcit, & in auem conuerti desiderat, quo è mundo quamprimum se prouipiat: *Quis dabit mihi pennam sicut columba, & requiescam.*

Quoniam Deus bone, paralytici, quot morbi, quot eheu peccatores à mundo impediuntur, quo minus ad Deum accedant, vt ab interna animæ paralyti curentur? at quoniam potius sunt, qui in negotiorum sæcularium tumultibus & conferta mundanarum sollicitudinum turba suffocati expirant? quod historia è Regum libris deprompta manifestum reddet. Cum Samaritæ, 4. Reg. 7. Assyriorum spolijs onusti redirent, tanta hominum, in porta vrbs fuit constipatio, ingredi gestientium, vt regis præfectus, ad turbas compescendas destinatus, à multitudine obrutus fuerit & suffocatus. Quoniam eheu! duces, quot generose animæ in hoc mundo, vel Ecclesia potius constitutæ ad populi regimen, ac rerum publicarum directionem, mundanis turbis oppressæ, & obrutæ negotijs, expirant. Mundo exeat, Exod. 3. ergo qui vult esse pius, ac vitam honestam ducere: Mundus quippe nebula est, quæ omnes nostros conceptus dissipat & destruit, & animam intrinsecus varijs negotijs inuoluit, cum præfertim virtutis iter nos videt insistere, vitæ emendationem concipere, & caprum vitiorum tramitem velle deferere.

Pharao videns Hebræos in Ægypto detentos, vero DEO suo victimas immolare velle, ita eosdem negotijs obruere voluit, nullum vt illis otium suppeteret aut tempus, quo de Deo sacrificijsque cogitarent. credebatur nempe ab otio & quiete, sanctas illas cogitationes proficisci, *Vacatu inquit, otio, & id tunc dicitis, Eamus & sacrificemus Domino. Ite ergo & operamini, palea non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Verus quidem Pharao mundus est, qui cum videt, nihil præter diuinum obsequium nos spirare, vitam in melius commutare, mores componere, penitentiam cogitare, & cor nostrum Deo in sacrificium offerre; tunc nos occupat, negotijs obruit, & sextentis animam curis & anxietatibus grauat. Itrae-



Exod. 14.

Israëlitæ dum se in libertatem vindicare, in patriam reuerti, & vincula dirissimæ captiuitatis distumpere conarētur, tunc etiam hinc Pharaō exercitum cogere, copias in aciem producere, illinc vero celsa montium cacumina, & rubri maris gurgites sese opponere; adeo ut quo se verteret, aut quod iter insisteret, populus nesciret, ac denique nullus effugij locus esset. Docet hæc nos allegoria mundum, quoties pij illius tyrannidem fugere, vanitates deserere, & negotijs secularibus se eximere gestiunt, tunc e contra occupationum agmina opponere, montes impedimentorum obicere, tunc rubra sollicitudinum maria asurgere, quæ cursum rerardent, bonos conceptus elidant, & propositum euertant. Denique mundus semper impedit, quo minus animæ Deum accedant, quo à paralyti fanentur. Atque hac occasione Euangelij, quod videam præ turbis paralytici huius baiulos Christi accessu arceri.

IV. Paralyticus est hic diues car.

Et offerebant ei paralyticum. Verosimile est, paralyticum hunc diuitem & opulentum fuisse, quod plurimos illius obsequio videam occupatos; tum in deferendo, tum vero in domo aliena dirupto tecto deustanda, in quo non modicum inquilino damnum inferebant. Sed nouerant, eum cuius causa hæc omnia fiebant, damnum si quod inferebant, facile refarcire posse. Atque hoc inde colligo, quod alius ille paralyticus, de quo in Ioanne mentio, qui triginta & octo annos paralyti diuexatus fuerat, ab hominibus derelictus, hominem non haberet, qui in piscinam illum mitteret, *Hominem non habeo, qui me mittat in piscinam.* at hic quatuor seruos habet, qui quocumque eum deferunt, adeo ut ad domorum etiam fastigia & tecta non grauentur, quo eum ante Christi pedes demissum constituant.

Ioan. 5.

Pastorum cura grauis.

Dici non potest, quantopere hi baiuli laborarint in paralytico hoc Redemptori offerendo: tectum conscendunt, aliorum domum deandant, turbarum compressionem sustinent. Hem quanti constat pastori ac præfili vnica ouicula, antequam ad creatorem Deum adducatur? quanti steterunt oues Labani Lacobo? adeo ut somnus ab eius fuge-

Gen. 3.

ret oculis, & sexcentas subiret molestias & difficultates.

Quanto sudore laboreque constitit vnica ouis Dauidi Pastori, cum faucibus leonis & vrsi, quo vitam ei conseruaret, eam violenter eripuit, ut de se ipse dicat, *Veniebat 1. Reg. 17. leo vel vrsus. Et toll bat arietem de medio gregis, & persequer bar eos & percutiebam, eruebamq; de ore eorum.*

Quantum facessitis negotij, quanto sudore constatis pastoribus vestris, o paralytici, o peccatores? Quantas Moyses subiit molestias, quot difficultates expertus est, quo populum illum refractarium & rebellem Deo conciliaret? Quantopere laborauit pius ille Samaritanus, ut viatori saucio qui in deserto Ierichuntino in latronum manus inciderat, sanitatem redderet? Tanto animarum zelo earumque, lucrificandarum, & in viam salutis reducendarum desiderio tenebatur Paulus, ut anathema esse vellet pro fratribus suis. Ita namque Romanis scribit. *Optaui anathema esse, à Christo pro fratribus Rom. 10. meis.* Id est, vltro me ipsum gloria, quam in Christi presentia, spoliaui, quo fratres meos Christo lucrificerem.

Atque hinc fortasse Dominus Apostolos Apostoli salii similes esse dixit, minutim frangitur, ut cur salii similes comedentibus palatum exacuatur, & condimentum cibis afferat. Dicitur Pelicanus pullos sanguine alere proprio, vitamque illis vltro impendere: ita pastoris seduli & zelosi est, magno erga oues suas amore & zelo affici, & baiulos hosce imitari, qui non mediocrem subeunt molestiam, antequam Christo paralyticum hunc representent.

Et ecce offerebant ei paralyticum. Si labor Pastores si & molestia magna, eorum profecto charitas deles Pelicano longe maior cum salutis proximi causa nullo similes. lum laborem aut molestiam subterfugiant; lectum simul & agrum deferunt, cum vero per ostium eundem Saluatori offerre non possent, domus fastigium conscendunt, e quo illius funibus dimissum ante pedes Iesu Christi sistant. Vehemens sane flamma, ingens amor, ardens charitas, insigne quoque mysterium & simul stimulus, ut mundi calamitates & mala deploremus. Si quis enim ad virtutem aspirat, & sanctum



desiderium concipit, nemo adest, qui adiuuet, qui deferat, qui auxilietur, qui animam addat: at si in alteram vergat partem & vitiorum studio teneatur, sexcenti opem pollicentur. at nemo est qui auxilium spondeat.

1. Reg. 20.

Quamprimum vt Seba, vir ad seditiones concitandas idoneus & nouarum rerum studiosus tumultum excitare cepit, & populum commouere dicens: *Non est nobis pars in Dauid, neq; hereditas in filio Isai;* omnes eum quamprimum secuti sunt, concitationem laudarunt, & datis sibi mutuo dextris, aduersus regem coacto exercitu insurrexerunt. *Et separatus est omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri.* Impij scilicet mille fautores & auxiliares, qui partes suas sequantur, inueniunt, bonos vero & cordatos nulli omnino sequuntur, sed deserunt omnes.

Abimelech cum Israelitis præfecturam ambiret, & omnibus artibus ad eandem conaretur ascendere, inopes quamprimum & vagabundi, ac rerum inopia pressi, & imprimis Sichimitæ, in eius nomen iurare, illiusque partes secuti sunt; *Qui conduxit ex eo viros in pes ac agor, secuti sunt eum.*

E qua historia colligere licet, cum coniuratio quædam inira est, & nefariū quoddam consilium concipitur, improbos & sceleratos quamprimum & lingua & manu auxilium spondere, ac re ipsa afferre, & rebellem velut ducem sequi.

Omnes improbis fauent.

Adonias cum paternum inuadere regnum patre etiamnum viuo, præter fas & nefas statuisset, summus Sacerdos Abiathar, & militiæ Præfectus Ioab, illi sacramentum præstitere, & plerique e regni principibus in illius nomen iurarunt: *Et seruus eius cum Ioab filio Saruie, & cum Abiathar Sacerdote, qui adiuuabant partes Adonia.* Hinc eruo, si quis Deo, sanctis, Ecclesiæ bellum moueat omnes in illius verba iurare, vitia amplecti: at qui virtutem docent & poenitentiam, qui ad cultum diuinum & ad præceptorum Dei obseruationem, exstimulant; derelinquantur, & vix vllum reperire est, qui eorum patrocinium, partes & curam suscipiat.

Abfalom ambitione tumens & regnandi audus, cum aduersus patrem intingeret, & exercitum in aciem produceret, *20. 2. Reg. 18. 10 corde & niuersus Israel secutus est eum.* Cum vero templi Ierosolymitani ruinæ post captiuitatem Babyloniam restaurarentur, omnes circumquaque vicini obstitere. Quibus etiam designatum arbitror, impios dum quod nouum consilium agitant, mille quæprimis socios & sceleris administratos, suaflores, laudatoresque reperire: pij vero, dum quod vitæ melioris propositum concipere, & consuetudinem honestam inducere satagunt, omnes omnino mortales impedimentum obijcere, & molimina interrompere. Quare vt & prius dicere memini, omnes vitio obsecundarunt, & scelestis stipulantur; virtuti & viris honestis hominum nullus; vt e præfenti Euangelio redditur manifestum, in quo omnes paralyticum quo minus sanitas reddatur, impediunt, cum locum dare baiulis recusent.

*Et ecce offerebant ei paralyticum.* Equas subeunt, Deus bone, homines molestias, quo corpus sanitati reddatur, vt vero anima sospes & integra sit, nullam penitus: Naaman Syrus, difficili ac molesto suscepto itinere, nullis parci laboribus ac sumptibus, quo à lepra mundetur, & de animæ lepra ne hilum sollicitus est. Idipsum in sæculi huius hominibus deplorandum, qui nescio quid non agitant, & omnem lapidem mouent, quo corpus conferuent, anima vt salua sit, vix pedem loco mouent. Videte vt hic baiuli de corporali paralyfi pellenda laborēt, de peccatis animam inficientib<sup>9</sup> ne cogitent quidem.

*Et offerebant ei Paralyticum.* Non possum quin eorum charitatem, benignitatemque demirer, quam e contra in domesticis Iob requiro, quorum nullus viro sanctissimo ærumnis fatiato opem vel auxilium tulit, adeo vt conquestus ipse dicat, *Frater sui draconum, & socius struthionum;* tacite enim eorum crudelitatem, & verborum venenatam fraudulentiam sugillans. Dracones porro vocat, quod sicut dracones ardenti spiritu aerem inficiunt, & in ignem conuertunt (vnde illos ignem euomere, & faucibus flammas,

St

Ma  
des  
qui  
tic  
ad  
tul

1. C.



mas ejaculari commentisunt poetæ) ita amici verbis quæ ore proferrent, quæ non nisi blasphemia, injuriis & calumnijs plena erant, animus illi & viscera adurent, præsertim cum efficere contenderent ob tacita eum peccata alijsque incognita tantis eum à Deo flagellis corripere, atque illa ipsa esse, quæ iram diuinam accenderent.

Struthio  
symbolum  
crudelitatis

Vt autem feritatem illorum & rabiem ostendat, inter struthiones se viuere deplorat: tanta siquidem struthionis feritas est, ut quantumuis naturali quodam stomachi calore, terram, ferrum, chalybæ & petras durissimas concoquat, in pullos tamè crudelis sit ut quæ maxime: Ouis siquidem plumoso corpore ceterarum auium modo, quo eadem ab æstuantissimo Africæ sole descendat, non incubat, sed solo intuitu cadem excludit. Vnde efficere volebat Propheta: Tanta amicorum meorum in me exiit crudelitas & inhumanitas, ut cum me calamitatibus oppressum, & tantum non exanimatum cernerent, nullam mihi opem tulerint, imò ne plumam ad corpus tegendum dederint, sed solo intuitu mihi conati sunt succurrere, & miseriam meam eorum intueri. At maior proculdubio caritas fuit amicorum paralytici huius, cum ipsi suis eum humeris ad Christum ferre non grauentur, & eorum offerre.

V.  
Magna fides eorum qui paralyticum hunc ad Christum tulere.

Magna inquam & singularis eorum fuit caritas, ac non minor fides, cum illius intuitu Christus eum sanitati pristinæ restituit, ait enim Euangelista: *Videns fides illorum*, e quo elicere poterimus, fidem alienam paralytico ad corporis simul & animæ salutem plurimū contulisse, atque huc trahere possumus illum symboli articulum, *Credo sanctorum communionem. & r. missionem peccatorum.*

1. Cor. 1.

Magna siquidem inter nos & Christum communitio est; & quidem talis, qualis inter corpus & caput. Nos enim omnes pretiosi illius sanguinis, meritum passionis, Sacramentorum, Euangelij doctrinæ, exemplorū, mortis denique illius simul & vitæ participamus. Hugo gloriatur omnium Christianorum nomine Apostolus, *Fideiis. Deus per quem vocati estis in societatem filii eius Jesu Christi, Domini nostri.*

Deinde vero præter hanc bonorum meritumque societatem & communionem, est & alia quædam inter nos & sanctos in cælum admissos, militantem inquam & triumphantem Ecclesiam. Omnes enim cœlites pro nobis indes apud Deum clementissimum intercedunt. Quam cœlestium communionem cum David rex consideraret, Deum glorificans ac laudans aiebat, *part. Psal. 18. ceps ego sum omnium circumstantium te.* Ioannes etiam in Apocalyp. vidisse se ait, viginti quatuor seniores, qui se coram agno prosternendo, *habebant singuli citharas & psalteria aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.*

Cum igitur sancti precibus & orationibus opus non habeant, efficitur preces illas & orationes quas effundunt, in nostrum emolumentum cedere, & sæpius etiam ignorantibus prodesse. Nemo autem dubitet, quæ baiulorum horum etiā paralytico profuerit, *Videns fides illorum.* Scio hereticos, non Hæretici uos illos Euangelij interpretatores hoc loco abuti, & hoc ipso astruere conari fidei soli justificationem adscribendam non vero operibus, atque ita consequenter per solam fidem peccata dimitti. Non ait, inquit, Euangelista, *Videns opera illorum*, vel laborem & molestiam in ferendo, in funibus demittendo, & eorum pedibus CHRISTI collocando exhaustam; sed *videns fidem illorum*, quod alijs etiam locis infinitis stabilire & confirmare gestiunt, ut illo imprimis, qui infra sequitur, *Considete filia fides tua te saluum fecit: & Noli timere, crede tantum, & salua eris: & Surge & vade, quia fides tua te saluum fecit: & cæco ait Christus: Respice fides tua te saluum fecit: & alijs plurimis. Quibus respondeo, ut Catholici hoc loco respondere solent, non inficiari nos primam justificationem, de qua in locis jam allegatis est mentio, sine operibus fieri, peragitur. attamen hinc elici non posse, soli fidei illam adscribendam. Inter fidem enim & opera interstitit caritas, quæ teste Petro, *operis multitudinem peccatorum; & de peccatrice muliere ait Dominus, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.**

Marc. 5.

Luc. 17.

Luc. 18.

Prima iusti-

ficatio sine

operibus

fieri, peragitur.

1. Pet. 4.

Luc. 7.



Cum igitur fide peccata remitti audis nulla charitatis mentione facta; credas etiam oportet; ex alijs locis, per charitatem illa dimitti, ubi vero non fidei, sed solius dilectionis est mentio, per fidem etiam dimitti, & quemadmodum e locis illis, in quibus nulla fit mentio, colligi non potest, per solam charitatem sine fide peccata remitti, ita ex illis, in quibus charitatis non meminit Evangelista, non inferri, solam fidem justificare.

Triplex hereticis fides

Nam sicut caritas sine fide esse nequit, nec sine caritate vivere potest fides: fidei tamen prius quam caritatis in justificatione fit mentio, non quod hac nobilitior sit aut efficacior, sed quod in ordine virtutum prima sit. Secundo. Novantes hi triplicem doceant haberi posse fidem, historicam, qua credimus omnia, quae dixit Deus esse verissima; alteram miraculorum, qua credimus, nihil omnino esse quin efficere queat Deus, postremam fidem Christianam, atque hanc justificantem, qua credimus, meritis Christi peccata nobis condonari. Addunt insuper novi hi Evangelistici, triplicem hanc fidem, per omnia tribus, quae in Deo reperiuntur attributis respondere, historicam scilicet veritati, miraculorum, potentiae; justificantem vero, bonitati: ac sola hac postrema justificari nos posse. Sed excutuntur hic & caligant, atque adeo omnibus facultatem & ignorantiam suam aperiunt: in omnibus enim locis quaeque ad rei quam efficere & probare conantur, evidentiam spectare credunt, nulla fidei justificantis mentio. *Videns Iesus fidem illorum.* Ecquam fidem? haud dubie miraculorum, qua credebant Christum paralytico sanitatem restituere posse; non vero justificantem, quam ne somniando quidem cogitarunt: cum nunquam audivissent, imo Christus nondum dixisset hominum se redimendorum causa mortem debere oppetere. Ait Haemorrhoisae Dominus: *Vade, fides tua te salvam fecit.* Ecquae fides? ipsa etiam miraculorum, qua mora dixerat intra se: *Si tetigero tantum sabbaticam vestimenti eius, salva ero.*

Matth. 9.

Cur igitur tot loca coaceruant, quibus probent, solam fidem justificare? cum e nul-

lo horum id colligi queat, & in nullo fidei, qua justificationis causam esse credunt, mentio vel minima fiat? At evidentius eorum impudentia & caecitas apparet, cum non vident vel potius videre reculant, in omnibus locis supra productis, de fide sua justificante sermonem esse non posse, quamvis fortasse de fide qui circa miracula versatur, non agatur: quod in horum plerisque aliena & non propriae fidei mentio fiat, uti hic eorum qui paralyticum tulerant. Adulteri enim juxta illos, fide aliena justificari nequeunt, sed propria; quoniam, inquit, justificemur, quod justitiam Christi metuamus, metuendo autem nostram illam facimus, cum vero nostra est, justificati jam sumus, id est, justitia Dei circumdanti & vestiti, coram Deo justii habemur & sumus.

Quamnam igitur vesania, cum sola fides propria justificat, locis his probare conari sola fide nos justificari, in quibus non de fide propria, sed aliena, non de justificante, sed de illa quae circa miracula versatur, agitur. Tempus jam est: ut de miraculo nostro loquamur, quod materiae reliquum erat.

Christus igitur videns Paralyticum jam coram simulque illius & bajulorum fide perspecta, magna cum modestia ait, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* O miracula, o paradoxa! Agnus patrem se facit luporum, virtus ipsa vitio blanditur, Deus peccatores filios vocat, medicus peccata remittit, iudex reos consolatur, Messias morbosos sanat. *Confide fili* fidem imprimis ei commendat, sine illa enim peccatorum remissio fieri nequit, sed illa imprimis necessaria est, filium vocat, animum ei ut addat, & de recuperanda sanitate certum quodammodo reddat, simulque spem suggerat cum filij nomen audit, fore se aliquando omnium bonorum ac meritum illius heredem, nam, ut bene argumatur Apostolus: *si filij, ergo & haeredes.* Felix igitur filius, talem qui nactus fuerit patrem. Sed paralyticum jam adibo & quis qualisue sit indagabo. Eminus me conspiciatus Palladius, innuit & exclamat, genus humanum esse, cui Adae peccatum paralytia

Fides ad salutem necessaria.



In *Matth.*  
cap. 9.

ralysin attulit, dum potentia & facultates eius rationis jugum excussere, & obsequi detrectantes; dominium affectarunt, grauiissima paralyfi exercuciata. Hunc diligebant omnes iusti, qui ante Messia aduentum in mundo vixere, qui ardentibus votis ac precibus salutem illius quotidie à Deo postularunt.

Paralyticus hic peccator istypus. Equidem post tantum doctorem, quantum è vultu illius & agendi cōsuetudine colligere queo, peccatoris eum imaginem gerere dico; atque huius occasione alfero paralyfin quamdam spiritualem esse, cuius vt naturam sciatis, è corporali paralyfi, facile eandem perspicere poteritis.

Nam quemadmodum ex hepate venæ sanguine turgidæ, è corde vero arteriæ dimanant; ita nerui è capite, per quos currunt spiritus, quos medici animales vocat, qui per totum dispersi corpus, motū simul & sensum causantur. Si vero temperatus & prauus quidam humor subintrōeat interdum, & meatus obturet, tunc membra omnia occlusis vitalibus spiritibus, motu penitus destituuntur, & paralytica sunt; hinc est q̄ paralyticus mortuo sit similis, mortuus siquidem lecto affix<sup>9</sup> omnium membrorum vsu & exercitio penitus priuatus est.

Peccatum animæ paralyfin adfert. Porro idem penitus efficit in anima peccatum. Cum enim duæ & quidem penitus inter se contrariæ & discrepantes in homine qualitates reperiantur, brutalis altera, & altera angelica; à Deo ipse conditus est, vt superiorem animæ partem, quæ intellectum, memoriam, & voluntatem continet, ad diuina & cœlestia sustolleret.

Sed peccatum ita easdem facultates inficit & corrūpit, vt paralyticorum instar, sensu & motu erga cœlestia destitute, cupiditatum & desideriorum cœlestium grabatis affixa iaceant.

1. Reg. 18.

Incolæ Iabes Gabaad cum se à Rege Ammonitarum obsidione premi cernerent, pacem ab eodem missis legatis postularunt, *Habete nos fœderatos, & seruiemus tibi.* Sed pro iniusta ille crudelitate respondit, *in hoc feriam vobiscum fœdus, & eruiam omnium vestrum oculos dexteros.*

Idem omnino fœdus cum impijs inijs. Duos hōse videtur inferotum tyrannus Sathan. Cum mo spiritua enim spiritualis homo binos habeat oculos: vno dextrum scilicet, quo cœlestia & diuina culos: vno contemplatur; & sinistram quo in terrena cœlum, alac mundana collimat; ita scelestus ille cartero terram naliū & mundanarum naturam peruertit contēplatur & commutat; vt cum in rebus terrenis videndis perspicacissimi sint, in cœlestium contemplatione penitus cæcutiant, & talis cæciores sint. Atque hic animarum paralyfis oritur, qua hominem mortuum reddit; & omni sensu erga diuina priuat.

Vera autem eorumdem iuuandorum ratio ipsa est peccatorum remissio, quam hic, vt videtis Christus paralytico concedit, *Remittuntur tibi, &c.* Quærat non immerito aliquis, cur Dominus peccata dimittat, eorum veniam non petenti; sed vnicam corporis salutem & sospitatem quærenti; Sanctus Hieronymus, Euthymius, & Theophylactus respondent vnanimiter, morbum forsitan & paralyfin peccatis illius imputari debuisse, & ab illis originem duxisse: quapropter prius eadem delere voluit, quam morbum curare. Probabile quoque est, quod ait Chrysoftomus, Christum scilicet scribis, calumniandi carpēdique occasionem dare voluisse, vt eadem ratione euidentis diuinitatis suæ ederet argumentum, è calumnia eorum proculsum, forsitan etiam, vt ostenderet, quidnam in primis paralytico quærendum esset.

Dixerat quippe alias, *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiciuntur vobis:* id est, animæ vestræ salutem rebus corporalibus præponite, & quidquid ad vitam & corpus necessarium fuerit, abunde vobis suppeditabitur. *Iam vero ait, Remittuntur tibi peccata tua.* Et sane sapius in sacris litteris legimus peccata morborum originem esse. An non enim ait, *Peccata increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnium morborum causa ossa eius marcescere facit.* Quin & Ezechias rex à graui morbi periculo liberatus, Deo gratias agebat, quod ob peccata *Iob. 33.* morbo se afflixisset, *Tu autem eruisti animam.* *Isa. 38.*

VI.

Morbi saepe sunt peccatorum effecta & supplicia. *Hmil. 30.*

*Matth. 6.*

*man*



*mam meam ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea, quæ morbi mei causa & origo fuerant.*

Igitur summus hic medicus hanc medicationem à peccatorum remissione orditur, velut ab origine & fonte totius mali, scit enim sine delictorum remissione morbidum sanitatem tam prodigiose & miraculose recuperare non posse, imo ne mereri quidem. Annon meministis, alteri olim paralytico dictum esse: *Lam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat*: ostendere satagens peccata paralytici illius causam esse, hic vero ait: *Remittuntur tibi peccata tua.*

IOAN. 5.

Deus plus concedit quam peti ab illo posset.

Egregia hic bonitas & admirabilis clementia elucet. nam cum paralyticus hic non peccatorum remissionem, sed sospitatem corporis peteret, tanta Domini erga illum liberalitas extitit, vt non minus hæc quam illam concesserit; quin & hæc illius agendi est ratio, vt plura semper elargiatur, quam fortasse ab eo petere possumus; est enim ille in dando profusior, quam in petendo nos audacior. Quod varijs è sacris litteris exemplis confirmare poterimus. Orat Abraham, Ismael sospes vt sibi conferretur; conferuat Deus, neue hoc fecisse contentus, è legitimo conjugio filium Isaac nomine etiam supererogat Salomon solam petit sapientiam, addit diuitias. Veniam peccatorum dumtaxat postulat Manasses, & amissum ei reddit diadema & regnum. Ezechias morbi leuamen postulat, & quindecim annos addidit vitæ. Hinc merito canit Ecclesia: *Deus qui merita supplicum exaudis & vota*: tua scilicet largitas abundantior, quam postulationes nostræ audaces. Idem tangit & ad Ephesios scribens Apostolus: *potens est Deus facere supra id quod petimus aut intelligimus*. Ecce rei periculum & experientia: paralyticus enim non nisi sanitatem postulat, & ecce simul peccatorum remissionem obtinet.

VII. Triplex remittendi peccata potestas.

Egregia profecto fuit illa consideratio, at non minus laudanda est, quam jam producimur: esse scilicet triplicem remittendorum peccatorum potestatem, quæ clavis regni cœlestis est: prima clavis est potentia & auctoritatis, atque hæc ad solum Deum spectat;

solus siquidem ipse auctoritate propria peccata remittit, peccatores in gratiam recipit, qui absolutorum ac plenam potestatem ad peccata condonanda nactus est. Quamobrem David peccatis onustus Deo supplicabat: *Auertere faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*. Est enim clavis excellentiæ, atque hæc ad Christum spectat, in quantum homo est. Christus enim in quantum carne vestitus, & solus peccatis satisfacit, & salutis nostræ pretium persoluit; potestatem quamdam & singularem & excellentem habet, eo quod Agnus Dei est, qui aufert & delet peccata mundi. Vnde Ioannes Zacharia filius, hoc illum nomine appellauit: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*

Psal. 50.

Potestas peccatorum remittendorum sacerdotibus concessa.

Est denique clavis ministerij, quam sacerdos Dei & Ecclesiæ minister gestat, quam suis Dominus in Euangelio dedit: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*. Quapropter bene, iudicio meo, obseruat August. Lazarum ad vitam reuocatum ab Apostolis esse deligatum, & iustis exemptum & solutum, vt ita re ipsa ostenderet, peccatorum dissolutorum potestatem sacerdotibus esse concessam, iuxta patentes illas apertissimas: *Quicumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis*. Christus igitur per excellentiam peccatorum remittendorum potestatem possidet, cum paralytico dicat, *Remittuntur tibi peccata tua.*

IOAN. 19.

IOAN. 11.

MATTH. 18.

Notandum hic etiam est, Christum vt hisce verbis triplicem clauem indicat, triplici quoque ratione diuinitatem suam ostendisse: primo Pharisaorum cogitationes detegendo, cum dicit: *Vt quid cogitatis mala facite in cordibus vestris? de illo namque dictum est: scrutans corda & renes Deus*. Et Ieremias: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*. Et Psalmista: *Nonne Deus requiret in ista, ipse enim nouit abscondita cordis*. Deinde in momento temporis, exterius nullo cataplasmate vel malagmate adhibito, paralyticum persanando, inque rei certitudinem dicendo: *surge, tolle grabatum tuum & ambula*, quod nulla profecto creatura, omne licet artificium adhibeat, præstare queat. Postremo peccata remittendo: est enim hoc evidens

hic Christus diuinitatem suam patet

Psal. 7.

Mal. 11.

Psal. 11.

deus



deus diuinitatis argumentum, & sigillum quoddam maiestatis & potentiae inhaerens; quod testatur Propheta dicens, *solus peccata dimittit.*

Atque hæc est ratio, cur Pharisei, qui eum vt purum & simplicem hominem spectabant, indignati sunt & stomachati, cum audiant illum peccata dimittere, adeo vt illum quasi in Deum blasphemum suspexerint. Sed CHRISTVS eorum virulentas cogitationes detegens, ad oculum illis patefacit, se tam peccatorum dimittendorum, quam paralyticorum persanandorum potestatem & auctoritatem à patre accepisse, ait: *Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula.* quasi diceret: *Quid? ane me blasphemum & impium ducitis, quod peccata commissa dimittam? Nequaquam viri. Sed, vt potestatem habere me, & auctoritatem ostendam, miraculo aliquo id certum faciam, atque ideo paralytico huic membrorum usum, vt videtis, restituo, vt hinc manifestum fiat, si corporis paralytes sanare potuero, eadem haud dubie ratione animæ morbos me sanare posse. Vnum quippe qui potest, poterit & aliud, nam quid est facilius dicere, dimittuntur tibi, &c.*

Peccatoris iustificatio ipsa mundi creatione difficilius.

Tract. 72. in Iona.

Ex hoc Iesu Christi argumento Theologi omnes liquide inferunt, difficilius esse peccatorem ad iustificationem perducere quam paralyticum sanare; & quamuis Deo vtrumque æque facile sit, nihilominus ad rem ipsam respectu habito, & agendi modo considerato, vnum altero videtur difficilius: Imo credit Augustinus, vnius duntaxat peccatoris iustificationem multo esse difficiliorem, quam cœli terræque creationem. Ratio autem quam affert optima & conuenientissima est, quod in peccatoris iustificatione aliqua habeatur contradictio, nulla vero in mundi creatione; contrarietas autem agenti difficultatem adfert, vbi vero nulla oppositio est, nec obstaculum; facilia sunt omnia. Hinc in Physicis asserit Aristoteles, si fieri posset, vt in vacuo dari posset motus, illum in momento futurum, quod nulla ibi sit contrarietas & resistentia; at in anima & peccatoris restauratione sex-

Tom. 2. Pars Æstiva.

centas contrarietates reperire est, atque ideo perdifficilis. Hinc D. Thomas ait, *Maximè opus Dei esse iustificationem & remissionem peccatorum.*

Tract. de gratia.

Si quis in medio cuiusdam ciuitatis casulam stramineam sine vilo cuiusquam impedimento conderet, & deinde arcem moliri vellet, & omnes eum ciues impedirent, & opus quotidie interromperent: an non posterius opus priorum ob opus ipsum, tum ob contradictionem resistentium longe foret difficilius? ita quoque difficilius est peccatorem iustificare, quam mundum condere; primo quod gratia cœlos dignitate superet, tum vero quod in peccatore magna sit contradictio, nulla vero in mundi creatione. Hinc colligere potes peccator, *Quantum* quam graue sit Deum offendere, quanta peccati malitia, & cogitare in singulis, quæ tibi sit Deo peccator. *Deus* remittit peccatis, maiori te Deo ratione obligatum esse, quam si toties in tui vnus gratiam nouos cœlos conderet: respice igitur & attende, quam illi deuinctus sis, cum toties tibi delicta condonarit.

Redeo igitur ad lineam, & dico Saluatorem Dominum paralytico dixisse, *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Tria ecce iniungit, primum, vt surgat, vt peccati lapsus denotet, deinde vt grabatum tollat, ne cui scandalo sit; denique vt domum concedat, ne pravo aliorum contubernio corrumpatur. Surgere iubet, gratiæ statum indicans; lectum tollere peccati occasiones euitandas ostendens; domum iri; mundum fugiendum indicans, *Surge* è peccati sordibus: *Tolle lectum tuum* tam diurnæ socordiae: *& vade in domum tuam*, bonis operibus vt incumbas. *Surge piger & vecors: tolle lectum tuum* adulter & fornicator; *& vade in domum tuam* vagabunde, deses & otio diffluens. *Surge*; nam satis superque in vitiorum luto volutatus es: *tolle lectum tuum*; malas consuetudines proscribendo, *& vade in domum tuam*, quietem cole, & improborum fuge consortia.

*Surge*, infelix ac miser; *tolle lectum tuum*; Tres infirmo: *& vade in domum tuam*; paralytice. *gnes medici* *Surge*, peccator vera delictorum confessio. rationes

Ri ne; tolle



circa sanationem paralytici huius.

ne; tolle lectum tuum, & concute stratum vitiorum vera contritione, & *Gade in domum tuam* illdem satisfactorius. *Surge* religiose, qui toties in peccata prolapsus es; *tolle lectum tuum*, aufer scandala quæ dedisti, & *vade in domum tuam*, reuere ad conobium tuum. *Surge* dissolute ac lubricæ sacerdos; *tolle lectum tuum*, & aufer & ciice mulierculas; & concubinas; & *vade in domum tuam*, vt precibus incumbas. *Surge* tu Pastor & Episcopo, qui toties mala subditis dedisti exempla, *tolle lectum tuum*, desere aulam & secularia negotia, & *vade in domum tuam*, ito ad parochiam & dioccesim tuam. *Surge* iudex inique, & desiste ab iniustitia & auro ius euerti noli pati; *tolle lectum tuum*, lucro tuo & stipendio contentus esto; & *vade in domum tuam*, tuis vtere, aliena non vsurpes, proximum fœnore & vsura non exedas. *Surge* mulier è fundo vanitatum tuarum; *tolle lectum tuum*, thorum maritalem noli illicitis amplexibus violare; & *Gade in domum tuam*, noli huc & illuc discurre, sed rei domesticæ curam gerito.

*Surge* anima mea è peccati strato; *tolle lectum tuum*, fuge delicias & amorem sæculi; & *vade in domum tuam*, quietem dilige, vt poenitentiam agas. *Surge*, recta ad virtutem contende, *tolle lectum tuum*, vitiorum strato te corripe; & *vade in domum tuam*, tui ipsius cognitionem ingredi. Finem non inuenirem, imo ad annum me paralyticus hic detineret, si aures & fidem ahibere liberet.

Sed ecce abit. Vix enim finierat Saluator verba, & ecce statim ille lecto prosiluit, stat in pedes, abit, redit & currit aliorum hominum instar. Egregium profecto miraculum, quo omnes in admirationem rapiuntur: miraculum inquam, quod morbo gaudium, populo admirationem, & Christo nomen peperit. Nihil enim circumquaque audias, quam iubilum & laudum cantica & gloriam, *Videntes autem turba timuerunt. & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

Nostrum quoque est. Auditores, illum laudare; admitemur igitur eius potentiam, mirabilia eius deprecemur, illius diuinitatem agnoscamus, & egregium hocce miraculum nobis documento sit: imitemur scilicet illos bairalos, qui tam sedulam nauant

operam, vt paralyticus hic salutem consequatur, illorum ad imitationem ægrotis succurramus, salutem peccatorum procuremus, & paralyticos Christo offeramus. Cogitemus mundum & prauorum consortium sanctis propositis sæpe obesse ac detrimentum afferre, imo impedire quo minus ad Christum accedere possimus, & repagula obicere, cum etiam turba hæc in causa sit, quo minus paralyticus hic Christo offerri queat. At quando mundus saluti nostræ alicuius abest, & ianuam occludet, qua ad Christum accedamus; in altum nos sustollamus, rectum petamus, & domorum fastigia rerum diuinarum contemplatione transcendamus. Pedibus quoque illius adiuuamur supplices, & vbi à peccatorum paralyti nos liberatos viderimus, surgamus, quo bona edamus opera, lectum & peccandi occasiones deseramus, & in domum nostram secedamus, otium & quietem conlectantes, quo debitas ei gratiarum actiones persoluamus.

Atque ita vt fiat par est, summe animarum rector. Quot eheu! hodierna die morbidi, quot paralytici reperiuntur; Tu illos perisana Domine, quos tibi offeremus, tibi suppliciter ad genua procidimus, vt illis misericordiam ostendas. Illorum igitur misere, ijs succurre ac benignum te exhibe. Vix enim illos sanaueris, quin statim è peccati statu succuri sint, te secuturi recti putiscentes lectos ac voluptatum grabata derelicturi, & in propriam domum concessuri, vt ibi te laudando & glorificando, expectemus interim, donec in domo illa æterna in sempiternum te laudemus, cuius aliquando compotes nos futuros speramus, ad quam nos conducat Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

DOMI-